



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XX. De processione Spiritus sancti à Filio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

essentiam. Vbi tamen obseruandum est eum accepisse nomina abstracta pro concretis, cum dixit essentiam de essentia, sapientiam de sapientia.

ADDENDVM est hoc loco tam Patrē, quàm Filium posse dici *αὐτόθεον*, sed alio sensu quàm acceperint Valentinus, & Caluinus hoc vocabulum. Nam si *αὐτόθεος* significaret eum, qui est Deus à seipso, vt illi existimant, certè nec Pater, nec Filius posset dici *αὐτόθεος*, nam Filius non est Deus à se, sed à Patre, Pater etiam non est Deus à se, sed à nullo. esse enim à se, est productum esse à se, Pater autem est simpliciter ingenuus, & improductus. Nec probanda est forma loquendi. LATANTII, qui lib. I. cap. 7. dicit, Deum à seipso esse procreatū. at potest *αὐτόθεος* significare eum, qui est ipse Deus, id est, verissimè Deus, quomodo dicimus, hæc est ipsa veritas, & Græci dicūt *αὐθαλήθεια*. item *αὐτάδελφος* proprius, seu germanus frater, *αὐτεξέσος* propriij iuris. & in hac significatione Epiphanus hæ. 69. vocat Filium Dei *αὐτοτέλειον*, & *αὐτόθεον*, id est, verè perfectum, & verè Deum.

CAPVT XX.

De processione Spiritus sancti à Filio.

RESTAT pars postrema disputationis de distinctione personarum, in qua explicanda est distinctio, & processio Spiritus sancti à Filio. quæ conuersione necessariò tractanda est tum propter Armenos, Græcos, Ruthenos, Moscos, & alios qui adhuc in errore perseverant, tum etiam propter novos Arianos. Nam Valentinus GENTILIS prothesi 36. & 37. solum Patrem vult esse essentiatorem Filij & Spiritus sancti.

Et quoniam Græci non solum nõ credunt Spiritum sanctum à Filio procedere, sed etiam conqueruntur Latinos ad symbolum addidisse particulam (*filioq;*) sine consensu ipsorum: Tria tractanda erunt. PRIMO, de origine huius hæresis, & schismatis, & de tempore illius additionis factæ. SECVNDO, an Spiritus sanctus à Filio procedat. TERTIO, an potue-

potuerint & debuerint Latini addere ad symbolum illam particulam.

Vide de tota re Magistrum cum Doctoribus lib. 7. d. 27. de
selm. in lib. de processione Spiritus Sancti. B. Tho. in opuscu-
lo de erroribus Graecorum. & de potentia. q. 10. art. 4. & 5. & 6.
Richardum Armachanum li. 6. qq. Armenicarum, Genesium
Scholarium in opusculo pro Latinis, cap. 1. & Hugonem
therianum de processione Spiritus sancti. denique Bellarminum
in oratione dogmatica, & Concilium Florentinum.

CAPVT XXI.

De origine huius haresis.

D RIMVS auctor huius haresis videtur fuisse Theo-
DORVS (qui tamen postea in Concilio Chalce-
donensi opera S. Leonis Papae Ecclesia reconca-
liatus est, & in suam sedem, ex qua pulsus fuerat
restitutus) cum aliis qui Nestorio fauebant, circa annum
Domini CCCCXXX. Nam quod in Prolegomenis V. Syno-
di quidam Iustinianus Episcopus Siciliae in epistola ad Petrum
asserit, Macedonium docuisse, Spiritum sanctum a solo Pa-
tre spirari, non est vlllo modo probabile. Nam Macedonium
de Spiritu sancto cum Arianis sentiebat, teste Augustino, de
haeres. ca. 52. Ariani autem Spiritum sanctum filij creaturam
dicebant, vt S. Basilius testatur lib. 2. in Eunomium, vbi dicit
Arianos ex eo probare solitos, Filium esse Patre monentem
quod Pater creauerit Deum quendam paruum, hoc est
um: Filius autem non potuerit creare Deum, nec magis
nec paruum, sed spiritum sanctum produxerit, qui nullatenus
do est Deus.

Adde, quod Concilium secundum congregatum est
tra Macedonium, & tamen in symbolo posuit ex Patre pro-
dentem, sed fortasse incorrectum textum habemus illius
stolae, & pro, spirat Macedonius a solo Patre Spiritum sanctum
legendum est, separat. Separabat enim spiritum sanctum
a solo Patre, quia solius Filij volebat illum esse facturum.

Extant igitur refutationes anathematismorum S. Cyrilli
per Theodoretum editae, tam in tomis Conciliorum, quam
in operibus S. Cyrilli, in quibus refutationibus cap. 9. dicitur
Theo-